Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

venientem ad eum. Et cum cepisset mergi clamavit dicens: Domine salvum me fac. Et continuo ihesus extendens manum apprehendit eum. Et ait illi: Modice fidei, quare dubitasti? Et cum ascendissent in naviculam cessavit ventus. Qui autem in navicula erant venerunt et adoraverunt eum dicentes: Vere filius dei es.

ficio solus erat ibi, i. in monte. Navicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim ventus contrarius. Criso. Rursus autem discipuli tempestatem sustinuerunt et prius; tunc quidem habentes eum in navigio hoc passi sunt; nunc autem soli existentes. Paulatim enim ad maiora eos ducit et ad ferendum omnia viriliter instruit. Ieron. Domino in montis cacumine commorante statim ventus contrarius oritur et turbat mare et periclitantur apostoli et tam diu imminens naufragium perseverat quam diu ihesus veniat. Criso. Tota autem nocte dimittit eos fluctuari, erigens eorum corda per timorem et maius sui desiderium eis immittens et in memoria continuam. Propter hoc non confestim eis astitit. Unde sequitur: Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare. Ieron. Stationes enim et vigilie militares in tres horarum spatia dividuntur. Quando ergo dicit quarta vigilia noctis venisse ad eos dominum, ostendit tota nocte periclitatos. Criso. Erudiens nos non cito solutionem inquirere advenientium malorum sed ferre ea que contingunt viriliter. Quando autem putaverunt eripi, tunc intensus est timor. Unde sequitur: Et videntes eum super mare ambulantem turbati sunt dicentes quia phantasma est, et pre timore clamaverunt. Semper enim hoc christus facit, cum solutum sit mala, alia que difficilia et terribilia inducit. Quia enim non est longo tempore temptari, cum finiendi sunt agones iustorum, volens amplius eos lucrari auget eorum certamina. Quod et in abraham fecit ultimum certamen temptationem filii ponens. Ieron. Confusus autem clamor et incerta vox magni timoris indicium est. Si autem iuxta marcionem et manicheum dominus noster non est natus ex virgine, sed visus in phantasmate, quomodo nunc apostoli dicentes timent ne phantasma videant. Criso. Christus ergo non prius se revelavit discipulis donec clamaverunt. Quanto enim magis intendebatur timor, tanto magis letati sunt in eius presentia. Unde sequitur: Statimque ihesus locutus est eis dicens: Habete fiduciam, ego sum, nolite timere. Hoc autem verbum et timorem solvit et fiduciam preparavit. Ieron. Quod autem dicit ego sum, non subiungit quis sit, ut ex voce sibi nota possent eum intelligere, qui per obscuritatem noctis tenebras loquebatur; vel ipsum esse scire poterant, quem locutum ad moysen esse noverant: Hec dices filiis israel: Qui est misit me ad vos. In omnibus autem locis ardentissime fidei invenitur petrus. Eodem ergo fidei ardore quo